



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitulum IX. Cùm dilectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

dubitationis habet, num secundum eam procedendum sit, idemque sentiendum de epistolâ, aut rescripto Principis, etsi enim jus faciat. *l. 1. ff. de constitut. principum.* tamen nisi in corpore juris sit, vel authenticè exhibeatur, probabilem ignorantiam, ac dubium parit. his addit *Felin. hic n. 5.* quod plures extrauagantes moribus vrentium receptæ non sint, & idèd obligationem non pariant, maxime quoad pœnas, seu censuras earum, vti docent *DD. c. In istis. distinet. 4.* & dixi de hoc *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 3.*

Not. II. In dubio, num lex promulgata, vel obligatoria sit, conuenit, vt princeps seu auctor legis consulatur.

CAPITULUM IX.

Cum dilectus.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. hic duo respondet, primum, quod instrumenta post publicationem testificationum ab vtraque parte produci possint, donec in causâ conclusum sit; alterum si in regno Scotiæ consuetudo inualuit, vt instrumentum regis plenam fidem mereatur, eam etiam in foro Ecclesiastico propter regis auctoritatem & honestatem seruandam esse.

SUMMARIUM.

1. Limitatur constitutio relata in textu, quod instrumenta post publicationem testificationum ab vtraque parte produci possint, donec in causâ conclusum sit.
2. Consuetudine introduci potest, vt literis Regis, Principis, vel alterius excellentis Magistratus plena fides habeatur, etiam in præiudicium alterius, modo nulla præsumptio sit in contrarium.

NOT. I. Quod ad primum responsum attinet, *Felinus* hinc limitationes adhibet, quæ fermè intelliguntur ex materiâ de testibus. 1. est, quod iudex ex officio, si necesse sit, instrumenta recipere possit post

conclusionem in causâ. Altera; in causâ criminali reus ad sui defensionem instrumenta, aliâsque probationes producere potest post conclusionem in causâ. 3. est, si instrumenta absque negligentia partis ab eâ de nouo reperta sint. 4. Si pars aduersaria consentiat productioni. 5. Si per negligentiam tutoris, vel administratoris instrumenta producta non sint, succurretur pupillo, & Ecclesiæ per in integrum restitutionem, & quidem non tantum post causæ conclusionem, sed etiam post latam sententiam, teste *gl. c. Inter. 20. de re iudicatâ.*

Not. II. Licet communi iure litteræ magistratus, si aliter probatæ non sint, pro authenticis non habeantur in præiudicium personæ tertie, vti dixi *in c. 7. de probat.* tamen consuetudine introduci potest, vt scripturæ excellentis Magistratus, Regis, Principis, Episcopi plena fides habeatur, etiam in præiudicium alterius, dummodo nulla suspicio aut præsumptio in contrarium sit, vti colligitur *ex hoc c. in fine.*

CAPITVLVM X.

Ioannes.

PARAPHRASIS.

Eremita Ioannes coram iudicibus Viterbiensibus petebat libras Senenses 130. ex causâ mutui, domum quoque sibi liberam & vacuam tradi ex causâ factæ venditionis, Petrus autem ex aduerso dicebat sibi ratione eiusdem domus venditæ Ioanni deberi 180. libras, vt proinde factâ compensatione nihil amplius ex mutuo debeat, cum autem iudices in causâ progressi essent, denique Petrum condemnârunt ad domum vacuam & liberam tradendam Ioanni, ab hac porro sententiâ Petrus appellauit ad Innoc. III. qui partibus auditores, seu cognitores causæ designauit, coram quibus Petrus per 4. testes probauit venditionem non puram sed conditionalem fuisse, videlicet hoc adjecto modo, vt Petrus, dum viueret, domum inhabitare posset,

x x

postea